

The Electronic Manipulus florum www.manipulusflorum.com

Trinitas f cum fonte primo et editione 1550

O beata ueritas, caritas, eternitas et beatificans trinitas!
Ad te me miserabiliter trinitas miserabiliter suspirat quoniam a te infeliciter exulat, discedens a te quantis se interuit erroribus, doloribus, timoribus.

Heu me, qualem pro te commutauimus trinitatem!
Ratio sepiissime in iudiciis fallitur, et uoluntas quadruplici perturbatione iactatur, et memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic uanitati nobilis creatura subiecta est.

Cor meum conturbatum est, et inde dolor; dereliquit me uirtus mea, et inde pavor; et lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. Heu, quam dissimilem trinitatem!
O anime mee, trinitas exulans offendisti! Verumptamen, o anima mea, spera in Deo quoniam adhuc confite illi, cum uidelicet a ratione error, a uoluntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit; et successerit illa quam speramus mira serenitas, plena suauitas, aeterna securitas. Primum faciet ueritas Deus, secundum caritas Deus, tertium summa potestas Deus.

Bernardus super Cantica sermone XI.

Hinc est quod et ratio saepissime in iudiciis fallitur, et uoluntas quadruplici perturbatione iactatur, et memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic uanitati nobilis creatura subiecta est non uolens, in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animae, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse uoluntati multitudo pacis, ipse memoriae continuatio aeternitatis.

O ueritas, caritas, aeternitas! O beata et beatificans Trinitas!
Ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam a te infeliciter exulat. Discedens a te, quantis se intricauit erroribus, doloribus, timoribus!

Heu me! qualem pro te commutauimus trinitatem!
COR MEUM CONTURBATUM EST, et inde dolor; DERELIQUIT ME VIRTUS MEA, et inde pavor; ET LUMEN OCULORUM MEORUM NON EST MECUM, et inde error. En quam dissimilem Trinitatem, o animae meae trinitas, exulans offendisti. Verumptamen quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, cum error uidelicet a ratione, a uoluntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit, et successerit illa quam speramus mira serenitas, plena suauitas, aeterna securitas. Primum illud faciet ueritas Deus, secundum caritas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inexstinguibilem, uoluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti aeternaliter inhaerente.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones super Cantica canticorum*, 11, 5-6 (SBO 1, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.57-8, ll.21-28, 1-13).

O ueritas, caritas, aeternitas. O beata & beatificans trinitas: ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam a te infoeliciter exulat. discedens a te quantis se intricauit erroribus, doloribus, timoribus?

Ratio saepissime in iudiciis fallitur, uoluntas quadruplici perturbatione iactatur, & memoria multiplici obliuione confunditur. Triplici huic uanitati nobilis creatura subiecta est, non uolens in spe tamen.

heu qualem pro te commutauimus trinitatem?
cor meum conturbatum est, & inde dolor. dereliquit me uirtus mea, & inde pavor. & lumen oculorum meorum non est mecum, et inde error. En quam dissimilem trinitatem. o animae meae trinitas exules offendisti. Verumptamen quare tristis es anima mea? et quare conturbas me? spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. quum uidelicet a ratione error, a uoluntate dolor, atque a memoria timor omnis recesserit. & successerit illa, quam speramus, mira serenitas, plena suauitas, aeterna securitas. Primum faciet ueritas Deus, secundum caritas Deus, tertium summa potestas Deus: ut sit Deus omnia in nobis, ratione recipiente lucem inexstinguibilem, uoluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti aeternaliter inhaerente.

Bernardus in sermone paruis sermone 1. quem totum lege.

Flores omnium fere doctorum (Venetiis, 1550), fol.519r-v.